



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

De Deo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

**EXAMEN EORVM  
QVI AVDIVNTVR ANTE RITVM  
PVBLICAE ORDINATIONIS, QVA COMMEN-  
datur eis ministerium Euangelij.**

**QVID NAM DOCEBIS?**

DOCEBO Euangelium Domini nostri Iesu Christi.

QVID INTEREST INTER DOCTRINAM Ecclesiae Dei, & alias sectas?

**O**MNES aliae sectae extra veram Ecclesiam, vt Ethnici, blasphemant Iudaei, Mahometistae, & alij, tantum docent particulam legis quibusdam externis & ciuilibus officijs, & addunt cultus idolorum, aliae alios. Prorsus autem ignorant filium Dei & Euangelium, id est, promissionem de gratuita remissione peccatorum, & de reconciliatione, & de hereditate vitae aeternae, donandae per fidem in filium mediatorum. At in Ecclesia retinetur integra & incorrupta legis & Euangelij doctrina, & noticia filij Dei, crucifixi pro nobis & resuscitati. Sola autem illa congregatio, in qua agnoscitur filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis & resuscitatus, est Ecclesia, in qua sunt multi vere placentes Deo, & recte inuocantes eum, & electi ad vitam aeternam, iuxta haec dicta, Iohan. 5. Qui non honorat filium, non honorat Patrem, qui misit eum. 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Iohan. 3. Qui non credit, iam iudicatus est. Item: Qui credit in filium, habet vitam aeternam. Qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Iohan. 14. Nemo venit ad Patrem, nisi per filium. Item: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansorem apud eum faciemus. Haec sciri necesse est, contra Thammorem, Latomum Louaniensem, & similes, qui infinitam confusionem faciunt, & fingunt Ecclesiae membra ubiq; esse, Ethnicos & alios, quorum mores sunt honesti.

**DE DEO.**

QVID EST DEVS?

**D**EVS est essentia spiritualis, intelligens, aeterna, alia à creaturis omnibus, verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, libera, immensa sapientiae & potentiae, irascens peccatis, Pater aeternus, qui filium imaginem suam ab aeterno genuit, & filius, imago Patris aeterni.

eterna, & Spiritus sanctus procedens à Patre & filio, sicut patefacit  
 unitas, certo verbo, & testimonijs diuinis, quod Pater æternus  
 cum Filio & Spiritu sancto condiderit & conseruet, cælum & terram,  
 omnes creaturas, & assit omnibus creaturis, quo ad conseruationem,  
 & colligat sibi in genere humano Ecclesiam propter filium, &  
 cream, & sit iudex iustorum & iniustorum.

**QVID EST PERSONA?**

**PERSONA** est subsistens viuum, indiuiduum, intelligens, in-  
 communicabile, non sustentatum ab alio. Græce ὑπὸστασις. Essen-  
 tia vero nominatur, quod reuera est, etiam si est communicatum. Et  
 tenetur discrimen inter οὐσίαν & ὑπὸστασιν. Sunt autem tres  
 personæ diuinitatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ἰσοῦστοι, non  
 plures, nec pauciores, quia sic se diuinitas patefecit.

**QUOMODO DISCERNUNTUR?**

**PATER ÆTERNVS** est prima persona diuinitatis, non na-  
 ta nec aliunde procedens, sed quæ ab æterno genuit filium, imaginem  
 suam, & à qua procedit Spiritus sanctus, & quæ cum filio & Spiritu  
 sancto omnes alias res creauit, & earum substantias conseruat.

**QVID NOMINAS CREARE?**

**CREARE** est ex nihilo aliud facere, sicut Deus cælum & ter-  
 ram, Angelos, & totam hanc mundi machinam dicendo fecit ex nihi-  
 lo, non ex aliqua præcedente æterna materia, ut multi Philosophi co-  
 gnauerunt. **GIGNERE** est alium de sua essentia gignere.

**FILIUS ÆTERNVS** est secunda persona diuinitatis, quæ  
 est substantialis & integra imago æterni Patris, quam Pater sese intu-  
 ens & considerans ab æterno gignit, quæ nobis quidem sic manifesta-  
 tur, quod sit persona per quam Pater dicit decretum, & totum ordi-  
 nem creationis & reparationis hominum, & mittitur ut patefaciat  
 Euangelium, & assumat humanam naturam, & sit mediator, redem-  
 ptor, iustificator, & saluator.

**SPIRITVS SANCTVS** est tertia persona diuinitatis, pro-  
 cedens à Patre & Filio, & est substantialis amor & læticia cœterna,  
 inter Patrem & Filium. Et nobis sic manifestata est, quod mittatur in  
 corda credentium, ut tales motus, amorem & læticiam acquiescentem  
 in Deo in eis accendat, qualis est ipse, sicut 2. Tim. 1. expresse scri-  
 ptum est: Non dedit nobis Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectio-  
 nis Dei, & castificationis.

**QVID DIFFERUNT NASCI  
 & Procedere?**

**NASCI** est à potentia cognoscente. Quia genitum est imago  
 y 5 gignen-

gignentis. Vt autem in hominibus potentia cognoscens formam imaginem, & loquitur: sic filius est æterni Patris imago, cogitatione generata, & est λόγος ostendens eum in reuelatione Euangelij. Proinde autem est à voluntate, quia Spiritus sanctus est motor seu agens.

QVARE FILIVS NOMINATVR ΛΟΓΟΣ.

NON solum quia cogitatione nascitur, sed etiam quia est persona proferens Euangelium ex sinu æterni Patris, & conferens ministerium Euangelij, & est efficax in his qui credunt Euangelio, & voce Euangelij dicens consolationem in cordibus eorum, & vivificans eos, sicut inquit: Ego vitam æternam do eis, & ostendens Patrem, & effundens Spiritum sanctum in corda eorum. Est enim sic vivificans per omnes personas, tamen hoc ordine fit: Filius qui colligit Ecclesiam, immediate voce Euangelij movet corda, & monstrat Patrem, & dat Spiritum sanctum. Ideo dicit Athanasius: Quandoquidem dicitur in homine esse Spiritus sanctus, est ibi per VERBUM. Considerandum est igitur, Filium dici λόγος, & respectu Patris, & respectu nostri, quia est λόγος, per quem Pater se nobis patefacit. Ideo in Iohanne dicitur: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Et Dominus ipse respondet interrogantibus, quis sit, εγώ εἰμι ὁ λόγος, id est, ego sum verbum, quod loquor vobis initio, sum illa persona, initio loquens vobiscum, proferens Euangelium ex sinu æterni Patris. Item: Nemo novit filium, nisi Pater, & nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui Filius volet reuelare.

DE VOCABVLO SPIRITVS.

VOCABVLVM Spiritus significat agitationem seu agilitatem. Nam & Spiritus sanctus est persona sic nobis patefacta, quod sit velut flamma, immediate tales motus accendens in corde, quales ipse est. Sicut Rom. 14. dicitur: Regnum Dei est iusticia & pax, & gaudium per Spiritum sanctum. Et ad Timoth. dicitur: Spiritus roboris, dilectionis, & castificationis. Vt autem hæc vocabula aliquando melius intelligantur, intueamur imaginem Dei in homine, in qua sunt tria hæc præcipua: Mens seu substantia animæ: deinde cogitatio, quæ est imago rerum quæ cogitantur: & verbum & cogitationes sequuntur in voluntate & corde motus seu agitationes, ut dicimus. Ignoti nulla cupido. Sed cogitationes & agitationes in hominibus sunt res evanescentes. At à Patre æterno est filius, qui est substantialis imago, nata cogitatione, & est ὁφισόμενος, id est, quiddam insistentens, non est quiddam fugax. Cum cogitatione est & agitatio & ὁφισία, quæ etiam est ὁφισόμενος.

QVAE PERSONA ASSUMSIT  
humanam naturam ?

FILIVS, qui est coaeterna imago aeterni Patris, & nominatur  
λόγος à Iohanne, assumfit humanam naturam in Maria virgine ma-  
rie, ut Iohan. 1. dicitur: Et verbum caro factum est. Talis est autem  
assumptio, ut huic personae soli, quae est λόγος, hæc massa humanae  
naturae assumpta, sit vnita vnione hypostatica, id est, ut sit vnum  
ἕνωσιν λόγος sustentans hanc massam, & ipsa massa naturae  
humanae. Non enim conuersa est vna natura in aliam, sed personae  
quae est λόγος, vnita est massa naturae humanae assumpta. Ac ad de-  
clarationem prodest considerare quatuor gradus praesentiae Dei.

PRIMVS est praesentia vniuersalis, quae est praesentia conserua-  
tionis, qua Deus omnibus creaturis adest, ita ut conseruet eas tantisper,  
donec vult eas conseruare, de quo gradu dicitur Ieremiae 23. Nonne  
coelum & terram ego impleo, dicit Dominus. Item: Enter praesentia  
Deus hic & vbiq; potenter. Iuxta hunc gradum etiam malis adest.  
E manifestum est, Deum sic separabiliter rebus adest, quia destruit  
naturas quas vult destruere, ut Pharaonem, & maximam partem ge-  
neris humani in diluuiio.

SECUNDVS gradus est, quo adest  
beatis angelis, & hominibus, & conseruat non tantum vitam eorum,  
sed etiam viuificat eos vita aeterna, & implet eos sua luce & iusticia,  
& visibiliter & immediate conspicitur ab eis, & quanquam non disce-  
dit ab eis, tamen adest eis tantum societate.

TERTIVS gradus est, quo adest in hac vita renatis, ut Dauidi,  
quo videlicet non tantum vitam eorum conseruat, sed etiam efficit in  
motus sibi placentes, & tamen non conspicitur visibiliter, ut in  
vita aeterna conspicietur, & adest separabiliter.

QUARTVS gradus longe alius est, quo sola hæc persona λόγος assumit huma-  
nam naturam, non solum inseparabiliter, sed etiam tali ratione, ut sit  
vnum ἕνωσιν. Et sicut hæc persona λόγος, aeterna est, ita post-  
ea impossibile est, hanc massam λόγος insertam non simul manere.  
Ac sit notissimum dictum Damasceni omnibus: Naturam humanam,  
quam semel assumfit λόγος, nunquam deserit.

ET SI autem  
exemplum huius vnionis nullum est in creaturis, quod profus con-  
gruat: tamen veritas, ut aliquo modo declararet vnionem persona-  
rum, monstrauit hominem. Sicut anima hominis & corpus sunt vnum  
ἕνωσιν completum, & corpus dissoluitur, desertum ab anima:  
ita λόγος & assumpta natura sunt vnum ἕνωσιν, & redige-  
retur in nihilum humana natura, si non sic gestaretur & sustentaretur  
à λόγος. De hoc exemplo inquit Iustinus: *Τινὲς μὲν πλὴν  
ἐνωσιν*

ἕως τῆς τύχης πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὐτως ἐκ δ' ἰσότητος καὶ  
ἀξιοῦσθ' ἵνα τὸ παρὰ δ' ἔργμα, εἰ καὶ μὴ ἦ πάντα, κατὰ τὴν ἰσο-

## DE DISCRIMINE IDIOMATVM.

DISCERNENDÆ sunt appellationes, quæ significant proprietates naturalium, & appellationes officij. Vt. propria sunt humanæ naturæ, pati, vulnerari, mori. Propria autem diuinæ naturæ, esse omnipotentem, esse immortalem. Sed nomina officij sunt, Mediator, Redemptor, Saluator, Sacerdos, Rex, Pastor. Hæc nomina officij competunt personæ, non tantum humanæ naturæ. Quamquam iuxta actiones quædam sunt in natura humana propriæ, vt dolores carnis & agones in passione: tamen missio filij sic ab initio Ecclesiæ, filius perpetuo adest Ecclesiæ, patefacit promissionem, colligit & legitur Ecclesiæ, & vult illam suam obedientiam, est intercessor, propitiator & saluator, propter illam futuram obedientiam, quæ est personæ, postquam assumpsit naturam humanam. Nec missio & obedientia tollunt æqualitatem potentie, sicut expresse inquit Cyrillus.

Hinc modi loquendi considerentur. Verissima est propositio: Natura diuina non vulneratur, non moritur. Et rursus verissima sunt propositiones, cum de Christo loquimur: Christus est vulneratus, Deus est vulneratus, Deus est mortuus.

## QVÆ EST RATIO DIVERSITATIS?

RESPONDEO. Propositio in abstracto significat naturam secundum se consideratam, ideo necesse est dici: Natura diuina non moritur. Propositio in concreto significat personam, seu substantiam seu ὑφιστάμενον, vt, Deus est homo. Christus est mortuus. Deus est vulneratus. Deus est mortuus. Hæc propositiones veræ sunt communicatio e idiomatum. Est autem communicatio idiomatum, prædicatio, in qua proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur personæ in concreto, quia hæc duæ naturæ, λόγος, & natura assumpta, sunt vnum ὑφιστάμενον.

## ARGVMENTVM.

Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa.

Saluatio hominis est opus ad extra.

Ergo non aliter fit per Filium quam per Patrem & Spiritum sanctum.

RESPONDEO. Vera est hæc regula: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, sed seruata cuiusque personæ proprietate. Filius & Spiritus sanctus mittuntur. Pater non mittitur. Et acriter Pater est efficax, sed per Filium & Spiritum sanctum. Filius interuenit

posert Evangelium ex sinu æterni patris, & ostendit voluntatem æterni Patris, & sanctificatur Ecclesia dato per eum Spiritu sancto. sic dicitur Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt. Et 1 Cor. 15. Deo gratia, danti nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Et sic dictum est: Filius ait per se, sed non à se.

QVOD EST DISCRIMEN VERAE INVOCATIONIS  
in Ecclesia, & aliarum impiarum inuocationum?

RESPONDEO. Duz sunt præcipuæ differentiæ, Altera de essentia Dei, altera de voluntate. Ethnici & alij impij negant hunc esse Deum, qui se patefecit misso filio, æternum Patrem, filium & Spiritum sanctum. Aberrant igitur Ethnici à vero Deo, & alloquuntur aliud quiddam commentitium, quod non est verus & patefactus Deus. Ideo scriptum est: Vos nescitis quid inuocetis. Deinde ignorant promissiones & mediatorem. Ideo manent in perpetua dubitatione, & ignorant, an & quare exaudiantur. Inuocatio vero sine fide, & oppressa dubitatione, inanis est, iuxta dictum: Quomodo inuocabunt, si non credunt? Roman. 10. ECCLESIA vero alloquitur verum Deum, patefactum illustribus testimonijs, & agnoscit eum sicut se patefecit. Scit etiam promissiones, & agnoscit mediatorem, & scit Deum velle inuocari, & exaudiri fiducia mediatoris, sicut ipse Dominus inquit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Assueticiamus igitur nos, vt in inuocatione mens cogitet patresactiones Dei, & alloquatur hunc verum Deum, qui se patefecit misso filio. Et simul tres personas intueatur, & fiducia mediatoris petat gratiam & alia beneficia.

## DE LEGE MORALI.

QVOD EST LEX MORALIS?

Lex Moralis est æterna & immota sapientia, & regula iusticiæ in Deo, discernens recta & non recta, & horribiliter irascens contumacibus, seu denuntiatis horrendam iram aduersus contumaciam, repugnantem huic ordini in Deo, & patefacta est hominibus in creatione, & postea sæpe repetita, & declarata voce diuina, vt sciamus quod sit Deus, & qualis sit, obligans omnes creaturas racionales, & postulans, vt omnes sint conformes Deo, & damnans ac destruens omnes, non conformes Deo, nisi fiat remissio & reconciliatio propter filium mediatorem. Huius legis summa comprehensa est in Decalogo, quare nomine Decalogi sæpe vtimur pro lege Morali, vt quasi monitorem præcipua capita. Etsi autem nullius creaturæ sapientiæ penitus intelligere Decalogum potest, tamen immutabile mandatum Dei est,